Sonder 4296
(7)

Sancta Maria de Loreto.



¶ Tranſlatio miraculoſa Eccleſie beate Marie virginis de Loreto.

Eccleſia beate Marie de Loreto fuit camera domus beate virginis Marie matris domini noſtri Jeſu chriſti: que domus fuit in partibus Hieruſalē iudee ꝛ in ciuitate galilee cui nomē Nazareth: ꝛ in dicta camera fuit beata virgo Maria nata ꝛ ibi educata: ꝛ poſtea ab angelo Gabrieli ſalutata: ꝛ demū in dicta camera nutriuit filium ſuum Jeſum chriſtum vſqꝫ ad etatem duodecim annorum. Demū poſt aſcenſionem domini noſtri Jeſu xp̄i in celum remanſit btā virgo Maria in terra cū Apoſtolis ꝛ alijs diſcipulis chriſti: qui videntes multa myſteria diuina fuiſſe facta in dicta camera: decreuerūt de cōmuni conſenſu omnium de dicta camera facere vnam eccleſiam in honorem ꝛ memoriā beate virginis Marie ꝛ ita factū fuit: ꝛ deinde Apoſtoli ꝛ diſcipuli illam cameram conſecrauerunt in eccleſiam: ꝛ ibi celebrauerunt diuina officia. Et beatus Lucas euangeliſta cum ſuis

manibus fecit ibidem vnam ymaginem ad ſimi
litudinē beate virginis Marie que ibi eſt vſq
hodie. Demum dicta eccleſia fuit habita ꝛ ho
norata cum magna deuotione ꝛ reuerentia ab
illo populo chriſtiano qui erat in illis partibus
in quibus ſtetit dicta eccleſia quouſq ille po-
pulus fuit chriſtianus Sed poſtq̄ ille populus
dimiſit fidem xpi ꝛ recepit fidem Machometi
tunc dei angeli abſtulerunt prelibatam eccleſiā
ꝛ portauerunt illam in partes Sclauonie ꝛ po
ſuerūt eam ad quoddā caſtrum quod vocatur
Flumen ꝛ ibi minime honorabatur vt decebat
virginem. Iterum de eodem loco angeli abſtu
lerunt illam ꝛ portauerunt eam ſupra mare in
partibus terretorij Racanati ꝛ poſuerunt eam
in quadam ſilua que erat cuiuſdā nobilis dn̄e
ciuitatis Racanaten̄ que vocabatur Loreta
illo tunc accepit iſta eccleſia nomen ab illa do-
mina que erat illius ſilue domina ꝛ patrona
ſancta Maria de Loreta: in illo tempore quo
ipſa Eccleſia permanſit in dicta ſilua propter
gentium nimium concurſum in ea maxima la-
trocinia: ꝛ innumerabilia mala cōmittebantur

Quapropter per Angelorum manus rurſus
aſſumpta eſt ⁊ portata in montem duoꝝ fratrū
⁊ in eodem monte per eorum angeloꝝ manus
ſita eſt; qui fratres ob maximū denariorum et
aliarum rerum introitum ⁊ lucrum ſimul atq;
ad inuicem ad maximas diſcordias ⁊ lites ve-
nerunt propter eas. Pari modo angeli abſtu-
lerunt eam de eodē montis loco ⁊ portauerūt
in viam cōmunem ⁊ in eadem illam poſuerunt
⁊ firmauerunt eam vbi eſt nunc cum magnis
ſignis ⁊ innumerabilibus gratijs ⁊ miraculis
collocata fuit in eadem via iſta alma eccleſia.
Tunc igitur totus populus Racanati fuit ad
videndū dictam eccleſiam que erat ſuper terrā
ſine aliquo fundamento; propter quod dictus
populus conſideratus tam magnū miraculum
⁊ dubitans ne dicta eccleſia veniret ad ruinam
fecerunt dictam eccleſiam circūdari alio muro
bono groſſo ⁊ optimo fundamēto prout hodie
videtur manifeſte; tñ nullus ſciebat vnde iſta
eccleſia originaliter veniret nec vnde receſſit.
¶ Nota quō ſupradicta ſunt ſcita in anno dñi.
Mcccclxxxvi. q; btā virgo apparuit in ſomno

eandam ſancto viro ei deuoto: cui ipſa ſupradi-
cta reuelauit: ⁊ ipſe ſtatim omnia diuulgauit
quibuſdã bonis viris iſtius prouincie ⁊ ipſi imme
diate deliberauerunt velle ſcire veritatẽ huius
rei: ⁊ ſic communicato conſilio decreuerunt ꝙ
eſſent ſedecim homines notabiles ⁊ boni qui
ſimul irent ad ſanctum ſepulchrum ⁊ demũ ad
illas partes de Hieruſalem iudee ⁊ in ciuitate
Nazareth ad inueſtigandũ ſupradicta inuenta
⁊ ita factũ eſt nam enim ipſi ſecum portauerunt
menſuram dicte eccleſie: ⁊ ibi veſtigia funda-
mentorum dicte eccleſie inuenerunt: ⁊ illam
menſuram ad vnguem ſicut eſt iſta: ⁊ in vna pa
riete ibi prope eſt ſcriptum ⁊ ſculptum in muro
quomodo iſta eccleſia fuit ibi ⁊ poſtea receſſit:
Demum quippe ſexdecim viri reuerſi ſunt ad
iſtam prouinciam: notificauerunt ſupradicta in
uenta per eos eſſe vera. Et extunc fuit ſcitum
ꝙ iſta eccleſia fuit camera ſctẽ Marie virginis
⁊ exinde populus chriſtianus habuit magnam
deuotionem ⁊ habet. Nam omni die ibi beata
virgo Maria fecit infinita miracula veluti ex-
perientia docet.

¶ Hic fuit vnus heremita qui vocabatur frater
Paulus de ſilua: qui habitabat in vno tigurio
in ſilua prope iſtam eccleſiam: qui omni mane
erat in iſta eccleſia ad officium diuinū: ꝛ fuit ho
mo magne abſtinentie ꝛ vite ſancte: qui iam
dixit. Sunt anni decem vel circa ꝙ in die nati-
uitatis Marie que eſt octaua die ſeptembris
ante diē per duas horas ſtante aeris ſerenitate
ꝛ dicto fratre Paulo exeunte de ſuo tigurio ꝛ
veniente verſus eccleſiam vidit vnum lumen
deſcendere de celo ſupra dictā eccleſiam quod
in longitudine videbatur fere duodecim pedū
ꝛ in latitudine fere ſex pedū: ꝛ cum fuit illud lu
men ſupra dictam eccleſiā diſparuit ipſe ob rē
dicebat ꝙ fuit btā virgo que ibi apparuit in die
natiuitatis ſue: ꝛ hoc vidit ille ſanctus homo.
¶ In quorum omnium fidem ꝛ teſtimonium
mihi prepoſito teremano ꝛ gubernatore pre-
nominate eccleſie quidā duo boni viri ꝑfate
ciuitatis huius ville habitatores retulerunt ac
annunciauerunt ꝛ pluribus vicibus dixerunt:
vnus vocabatur Paulus renalducij: ꝛ alius
Franciſcus alias Prior. ꝛ dictus Paulus

dixit mihi ꝙ Auus aui eius vidit quando An-
geli duxerunt predictam eccleſiam per mare ꝛ
poſuerunt illam in dicta ſilua ꝛ pluribus vici-
bus ipſe cum ceteris perſonis ipſam eccleſiam
in prelibata ſilua viſitauit. Item dictus Fran-
ciſcus multotiens retulit ac dixit mihi ꝙ Auus
eius qui erat centum viginti annorum dixit ei
ꝙ pluribus vicibus viſitauit dictam eccleſiam
in eadem ſilua. Et pari modo ipſe Franciſcus
retulit atq; dixit mihi per plures vices.
¶ Item ad huius rei credulitatem atq; certi-
tudinem prepalamus quomodo iſta alma ec-
cleſia fuit ꝛ ſtetit in dicta ſilua ꝛ pluribus pro-
bis perſonis dictus Franciſcus dixit ꝙ Auus
aui eius habuit domum ꝛ habitauit ibi; ꝛ eius
domus erat penes pretaxatam eccleſiam; ꝛ in
ſui tempore eleuata fuit ꝑ angelos a loco ſilue;
ꝛ portata in montem duoꝝ fratrum; ꝛ ibi ſita
ꝛ collocata eſt vt dictum eſt ſuperius.

Deo gratias.